

cōrūm quam maximi ei honores haberentur , studium & 1489
diligentiam adhibuit . Federicus Benacum primum invi-
sens , omniaque littora biremi circumvectus , ejus præser-
tim oræ quæ ad meridiem vergit , aspectu atque fragran-
tia , quod est pomi medici plena , mirifice exhilaratus ,
tum aquæ perlucidissimæ amœnitate oblectatus , piscatio-
nibusque delectatus est . Capitur eo in lacu prope medio ,
quaque altissima est aqua , piscis clarus *Carpio* ab incolis
dictus , pedis plerunque longitudine : qui omnino piscis
alibi non capitur : eum piscem capere atque cognoscere
Federico voluptati fuit . Veronam deinde , tum Vice-
tiam , Bassianum , Taurisum , Cornelianum , Forum Ju-
līi , Aquilejam , Portumque Naonis , qui locus in ipsius
ditione est , lento itinere pervenit . E Naonis vero Portu
tres legatos ad Senatum misit actum gratias , quod per
ejus loca tam liberaliter , tantisque honoribus suscepimus
fuisset , tamque benivolam in sece civitatis voluntatem
cognovisset . Ab Aquilejæ finibus suum in regnum con-
cessit . Eodem tempore ut infantibus vulgo quæsitis , qui
publice alebantur , quorumque magnopere numerus excre-
verat , largius uberiorisque esset , in Senatu lex est perlata ,
ut navalium urbanorum magistratus in annos singulos tri-
tici molita *festaria* , quæ appellant , ducenta , vini am-
phoras duodecim eorum curatoribus darent : iisque rebus
ex reipublicæ horreis , sylvæ cæsæ ad ignem domesticum
carros ducentos eorum præfecti adderent . Terruit non
multo post civitatem , quod ad diem tertium iduum se-
xtilis duæ turres omnium , quæ in urbe essent , maximæ
atque altissimæ , noctu de cœlo tactæ conflagraverunt , cul-
minibus incendio late spectabili absumptis : una , quæ in
foro est , cuius erat culmen inauratum , altera quæ est
media in urbe ad Francisci . Senatus post hæc legibus ali-
quot promulgandis operam dedit , quæ leges ad portoria
urbis conservanda pertinerent . Etiam in Mariæ clarum mi-
raculis , unde ei nomen est , fanum exædificatum jam eo
luculentiore opere , quo ipsum angustius est , ut ejus ar-
tificii elegantia & sumptus aliorum templorum magni-

H. Bembi.

C

tudi-

*Bonaci de-
scriptio .**Mariæ mi-
raculorum
ades & cæ-
nobium .*